





16  
Pr. 48. num. 58  
1776, 42.  
DE  
**SUCCESSIONE IN BONA  
ABSENTIVM.**

DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup>

QVAM

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM COLLEGII

PRAESIDE

IO. ADAMO THEOPHIL<sup>O</sup> KINDIO

PHILOSOPHIAE ET IURIVM DOCTORE SVPREMAE CVRIAIE  
PROVINCIALIS ET CONSISTORII ADVOCATO.

A. D. III. APRIL. A. C. N. CIOCCCLXXVI.

IN AVDIT<sup>O</sup> R<sup>O</sup> ICTORVM

D E F E N D E T

A V C T O R

GEORGIVS LUDOV. WICHHMANVS  
WARRNSDORF

C O V E S L U S A T U S .



LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA.



PERILLVSTRI  
EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO  
DOMINO  
**HANNS GOTTHELF A GLOBIG**  
IN ZEHISTA RELL.  
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE  
CONSILIARIO INTIMO  
SENATVS SUPREMI ECCLESIASTICI  
PRAESIDI.

МАЛЫШ  
ОНИСА  
ДОМОД  
ЕГОЛ  
ПРИ АБИДА  
СИЛЯ  
ЧИЗИ  
ИЗИ

PERILLVSTRIS  
EXCELLENTISSIMEQVE  
DOMINE,

*A*d TE pertinebat hic libellus, nomini  
TVO perillustri inscriptus. Eo animo est  
bonae mentis homo, vt, vbi magnis se benefi-  
ciis ornatum sentit, graue quoddam onus impa-

*situm sibi esse putet, quo tum denique sibi aliquan-*  
*tum levatus videtur, si occasionem nactus gra-*  
*tum animum declarare potuit. Respicienti mili*  
*iam absoluta studiorum Academicorum curri-*  
*cula, nihil suauius iucundiusque est ad memo-*  
*riam recordatione favoris TVI, quem iuueni*  
*stadia litteraria decurrenti addidisti perpetuum*  
*comitem. Evidem orationem meam nullo modo*  
*posse exaequari sentio beneficiis, a cura et be-*  
*nivolentia TVA in me deriuatis: nec TV is*  
*es, qui magis ab aliis commemorari praedica-*  
*rique*

*rique beneficia, quam abs TE praestari velis.*

*Quare me ita comparabo, ut re potius quam  
verborum copia pietatem TIBI meam demon-  
strem. Atque huius mei animi documentum  
aliquid extare volui, hoc libello TIBI oblato,  
quem et si per su nimis exiguum, tamen prop-  
ter dantis pietatem libenter a TE acceptum  
iri confidebam. Caeterum si propensissimam vo-  
luntatem in me TVAM ita conseruare po-  
tero, si ea nunquam indignus reperior: votum  
illud, quo nihil maius mibi est, ut continues in*

*me*

*me curam et fauorem **TVVM**, iam non spes  
amplius erit, sed res ipsa.*

*PERILLVSTRI*

*EXCELLENTISSIMO QVE  
NOMINI TVO*

*deuotissimus cliens*

*Ge. Lud. Wichmannus a Wärnsdorf.*



## PRO O E M I V M.

---

**Q**uod fere accidere solet iis, qui omnium primo ad scribendum se conserunt, ut doctorum virorum de se metuentes judicia, ancipites diu ac dubii, cui loco tractando vires suffectoriae videantur, deliberent, id vero in me, postquam nonnihil scribere apud animum meum constitueram, minime putabam mirandum esse, qui sciam, iis, qui non tam vlla consuetudine aut necessitate quam sua voluntate impuli scribunt, idque lectorum iudicio subjiciunt, magnam expectationem tanquam gravem adversariam esse constitutam. Iam etsi mihi non tam Suffenus sum, vt illam adversariam in tantis ingenii et doctrinac meae angustiis rite me sustinere posse milhi persuadeam, tamen, quicquid oppellae meae fuerit, si iis viris, qui res meas in cursu, quem in hac academia emensus sum, et iuuarunt et ornarunt, quibusue adeo studia mea maximopere commendari velim, haud improbatum esse cognovero, non meae me

A

operae

operae in elaboranda hac commentatione collocatae poenitentebit, sed vberrimos dulcissimosque eius fructus cepisse me existimabo.

*Instituti ratio.*

Incidi autem in locum de successione in bona absentium, non quo me illum rite, prout illius dignitas postulat, illustraturum et quasi in solem et pulvere prolatum confusus essem, sed quia illius utilitatem in foro nostro haud exiguum esse tum e scholis Excellentissimi Praefidis tum ipse ego, illustri exemplo mihi ab illo benigne communicato, didiceram. Haud raro enim euenire solet, vt quidam aut lucri faciendi cupiditate allecti aut rerum peregrinarum vilendarum studio ducti, aut calamitate belli aliasque causis permoti, aut denique patriae pertaesi et arbitrio fortunae sese committere cupientes, penatibus suis relictis, peregre terra marique profiscantur et sensim pauperrimum et conspectu nostro ita dispareant, vt quo diutius a patriis laribus absunt, eo incertiora omnia fiant, ubinam gentium degant, versenturne adhuc inter vivos, an abierint, quo priores abiere, et unde negant, redire quemquam. Qui absentes saepenumero plus molestiae et ampliorem litium materiam relinquunt, quam praesentes et patriis laribus inhaberentes praebere poterant. Si quis enim paulo diutius a patria absfuit, nullo nec mortis nec vitae nuntio allato, consanguinei et ii omnino, quorum interest, bonis absensis, quem nunquam redditum non tam putant quam sperant, haud raro inhiare solent, et bonorum absensis cura haud contenti, ipsam hereditatem petunt: id quod grauibus saepenumero litibus inter ipsum absensis consanguineos praebere solet. Nulla autem grauior inter eos solet existere controversia, quam postquam absens ex lege vel obseruantia mortuus fuit habitus, et successioni in illius bona locus patet.

Res

Res enim saepenumero in eum peruenire solet statum, vt alii, si tempus, quo absens factus fuit, alii contra, si tempus, quo absens ex lege mortuus habetur, spectes, proximi sint illius heredes, quorum alter alterum ab hereditate excludere cupit. Cum vero hic iuris ciuilis de succeſſione in bona absentium locus a viris eruditis et ab iis adeo, qui de iuribus bonorum ab absentibus relictorum diligenter expouerunt, sit neglectus, non alienum duximus, illum locum in hoc nostro libello academico ex genuinis principiis explicare.

## §. I.

## Abſens quis?

De succeſſione in bona absentium scribere aggressuri id nobis negotii datum eſſe existimauimus, vt quea vis et potestas huic vocabulo *absens* fit subiecta, ante omnia moneamus. Vox enim *abſentia*, et quea ipſi opponitur *praefentia* varios in iure nostro habet significatus, in quibus excutiendis riteque explicandis diligentissimus fuit BEAT. PHILIP. VICAT<sup>a)</sup>). Si, ut his solis exemplis vtamur, de restitutione in integrum propter absentiam concedenda quaeritur, praefens est, qui in domicilio suo versatur, absens contra, qui non in rerum ac fortunarum suarum sede adeoque domi non eſt. b) Alio sensu dicitur in longi temporis praeſcriptione. Absentia, vtrum ibi ex rerum ſitu, an ex personis, an denique ex protiniae vel ciuitatis diuerſitate aſtimanda fit, etſi dubitatio olim inter letos exiterat; Iuſtinianus tamen illam ita ſuſtulit, vt absentiam, nulla nec rerum nec personarum ratione habita, tantum ex diuerſitate domicilii

## A 2

## vtrius-

a) in Vocabulario Iuris vtriusque b) l. 7. C. de Incolis l. 209. n. de  
(Luteiae Parif. 1759. in 8vo) sub Verb. Sign.  
voce abſente.

vtriusque et domini et possessoris diiudicandam esse sanciret. Quare praesens dicitur, qui in eadem cum possesso provincia domicilio gaudet, absens contra, qui in alia, quam in qua possessor domicilium constitutum habet. <sup>c)</sup> Nos autem hic neutro sensu utimur. Iam vero sunt, qui eum dicant esse h. l. absentem, qui non sub eodem iudice, et si in eadem prouincia domicilium habet. <sup>d)</sup> Verum enim vero haec notio nobis non esse videtur adaequata. In absente enim h. l. nulla diuersitatis domicilii ratio habetur, nec vtrum illud sub eo, cui subest iudice, an sub alio domicilium constitutum habeat, sed id tantum spectatur, vt vbinam degat, mortuus sit an viuat, haud constet. Absentis igitur nomine hoc in libello non venit is, qui sub alio iudice, in alia prouincia et in remotissimis adeo locis commoratur, tummodo certi quid de illo compertum habeamus, sed eum dicimus esse *absentem*, cuius vita et fortuna incerta est, seu qui disparuit ita, vt vbinam moratur, sitne adhuc inter viuos an mortuus haud constet. <sup>e)</sup> Exinde sequitur, vt etiam is, qui licet in eadem nobis-

c) l. vlt. C. de Praescript. long. temp.

d) SAM. STRYKVS in Vbi Moderno n. Lib. XLI. 3. 7. §. 1.

e) Absentes in lingua theotica dicuntur *Auswürdische*, *Auslaendische*, *Flüchtige* et *Ver verschollene*. Hoc vocabulum rei exprimendas ut quod maxime aptum crebro usurpatur veluti in Iur. prouinc. Hohenloic. Lib. V. Tit. I. §. 24 et 28. in Ordin. Ciuit. Argentor. (quae an. 1650. prodiit) de concurso creditorum Clasf. III. von Stillschweigenden Unterpfand §. 10. Adde GABRI SCHWEDERI

Conf. 81. num. II. 17. 18. LVD. CONR. SMALKALDERI diss. de illo quod iustum est circa eos qui disperuerunt vom Recht der Verschollenen (Tubing. 1751.) Vox *verschollener* deriuatur a particula illa sensum remittente *Ver* (cf. WACHTERI Glossar. Germ. Proleg. Seet. V.) et *Schollen*, praeterito verbi *Schallen*. Hinc *Ver verschollene* denotant eos, qui in exteras prouincias translati esse desierunt in memorie et sermonibus ciniuum suorum (*die in der Fremde verschallat sind.*)

biscum prouincia, ciuitate, quin sub eodem testo degat, nec tamen ab vlo agnoscitur, nec se ipse prodit, absens nobis dicatur. Ceterum nihil refert, vtrum absentia sit ordinaria an extraordinaria, nec aliae, quae vulgo asserri solent diuisiones absentiae,<sup>f)</sup> locum hic habent.

## §. 2.

*Finitio successionis in bona.*

Iam ne dubii quid superfit, quod cursum disputationis moretur, notionem successionis in bona explicemus. Vox *successio* duplē significatum habet; altero eoque latiori denotat *quamlibet acquisitionem deriuatiuam*, in strictiori autem et proprio, quo h. l. utimur, est *acquisitio rerum a defuncto reliidarum*<sup>a)</sup>. Ex his apparet, omnem sic quoque nostram, de qua nobis hoc in libello sermo est, successionem non intelligi sine *bonis*. Haec autem vel *naturaliter* vel *civiliter* dicuntur. Ibi bona dicuntur ex eo, quod beent, id est beatos faciant<sup>b)</sup>. Hic vero et in sensu iuris bona significant vniuersitatem, qua in vniuersum ius defuncti succedit<sup>c)</sup>. Qui quidem significatus Ictis admodum solemnis est, vt vel ex bonorum possessione intellegitur, vbi voci *bonorum* eadem ac quae vocabulo *hereditatis* vis est subiecta, et bonorum possessio iuris nomen esse dicitur, sicut et *hereditas*<sup>d)</sup>. Quare quae huic attribuantur, et ad bona in hoc significatu iuris translata sunt. Sic, vt rem exemplis illustremus, bona adire, agnoscere et iis se imimiscere Ictis idem est, ac hereditatem adire, et queni-

## A 3

## admo-

f) IAC. FRID. LUDOVICI in positivam Germanorum communem Vnu pract. distinc. iurisd. Lib. IV. §. 744.

Tit. VI. dist. I. II. et III. p. 128. seq.

a) ILL. DAN. NETTEBLADT in Noua Introd. in Iurisprudentiam

b) I. 49. π. de Verb. signif.

c) I. 208. π. de Verb. signif.

d) I. 119. π. de Verb. signif.

admodum a boqis, sic quoque ab hereditate abstinemus<sup>e</sup>). Itaque nobis h. l. Successio in bona est acquisitionis iuris vniuersi, quod defundus habuit. Quemadmodum autem in omni acquisitione dominii iustus titulus a modo acquirendi differt, sic quoque ius acquirendi successionem in bona, quod vel testamento, vel lege vel, uti mores Germanorum ferunt, pacto nititur, ab ipsa acquisitione discernere debemus. Quamquam illud et nomine successionis haud raro venire solet, et successio atque hereditas promiscue usurpat<sup>f</sup>), tamen ius succedendi ab ipsa successione accurati distinguntur<sup>g</sup>).

## §. 3.

*Absentis mors an vita praesumatur?*

Haec quaestio ante, quam rem ipsam aggredimur discutienda est, quia ad institutum nostrum apprime facere videtur. Absentis vita aequa ac mors si incerta est, argumenta a probabilitate desumita locum sibi vindicant. Si omnino quaeritur, an quicquam euenerit, non praesumitur, sed quia facti est, probari debet, et ex hac iuris regula sequitur altera, quod mutatio non praesunatur. Quae cum negari nequeant, absens non mortuus, sed vivus praesumitur, et qui absentem diem obiisse supremum asserit, id quemadmodum in hereditatis petitione, aliisque iuribus, quae non nisi morte subsecuta ad alios transeunt, probare tenetur, tum quia id facti est, tum quia mutatio non praesumitur, sed res in statu, in quo esse coepit, semper consttere censetur, donec mutatio doceatur. Quare uti is, qui semel locuples

e) l. 91. π. de acquir. vel omitt. heredit. l. 44. π. de re iudic.

f) l. 21. C. de pacis.

g) 10. AVG. HELLFELD in diff. de transmissione iuris succedendi antecessoris morte non delati §. 3. in Eiusd. Opusc. p. 439.

locuples fuit, semper talis habeatur, sic ille quoque, quem semel in viuis fuisse constat, semper et quousque per naturam humanam licet, viuere praesumitur, adeo, ut qui viuum aliquem esse afferit, vitam probare non teneatur, etiamsi paria et pro vita et morte adsint argumenta<sup>a)</sup>). In sola enim absentia licet diurna, et fragili ac caduca vitae humanae conditione, et ipsa denique cum silentio absensis coniuncta mutatione loci, in quo ante abitum comoratus est, idonea ratio, cur mortuum credamus absensem, non continetur, sed si res in incerto versatur, naturalis potius hominum qualitas h. e. vita quam ea, qua illa interiit, conditio h. e. mors praesumitur<sup>b)</sup>.

#### §. 4.

##### *De cura bonorum absentis.*

Cum igitur absentes viui potius, quam mortui censantur, nec tamen viuentis vlla sit hereditas, non statim, vbi quis absens factus fuit, successioni locus patet, sed quia propter absentiam rebus suis ipse superesse nequit, his curator datur. Quod vt fiat, et reipublicae interest, et aequitas naturalis exigit, ne absentes viui dominio rerum suarum exuantur, sed potius, vt si quando redierint, bona ipsis restituantur salua atque integra. Ex his rationibus introducta fuit cura bonorum absentis. Iam etsi de illa copiosius agere nec lubet nec vacat, vnum-tamen silentio praetermittere non possumus, quia ibi fere ab iis, qui de cura bonorum

a) IER. MASCARDVS de Probat. III. quest. 21. LÉYSERVVS in Medit. Conclūs. 1073. n. 1. IAC. MENO- ad π. Spec. 95. n. 24.  
CHIVS de Praesumt. Lib. II. præf. b) dissentit IO. FRID. WAHLIVS  
§3. n. 6. LYNCKERVS in Resp. P. in progr. Cui necessitas probandi in  
I. Resp. V. n. 15. seq. SAM. DE COC- Petitione hereditatis absentis incumb-  
CEII. in lur. Controu. Lib. V. Tit. bat (Goett. 1751.) p. 1. seq.

bonorum absentis scripsere, errari deprehendimus. Scilicet ex quibus legibus, Germanicisne an Romanis illa bonorum cura formam petat suam? quaestio in diuersas agitatur partes. Sunt, qui illam ex moribus tantum Germanorum introductam esse statuant<sup>a)</sup>; aliis iuri Romano vsum et auctoritatem hac in re vindicantibus<sup>b)</sup>. Quid enim? Mores patrii infantes adeo, mulieres, minores, aliosque, qui rebus suis ipsi superesse nequeunt, ad hanc curam admittunt<sup>c)</sup>. Curator bonorum absentis legitimus nemini nisi absenti rationes gestae administrationis reddere tenetur<sup>d)</sup>. Haecce ex iure Romano originem petant? Res falsa est. Quodsi enim illa omnia, quae ad mores patris vulgo referuntur, paulo curatiis inquisieris, ad meras, ex quibus mores aestimari non debent, doctorum opiniones, aut saltim, vbi illae rebus perpetuo iudicatis confirmatae sunt, ad consuetudines particulares referenda esse facile cognoscas. Ex quo ius Romanum apud Germanos receptum fuit, ex illius principiis, quemadmodum tota doctrina de tutelis et curis, sic quoque cura bonorum absentis aestimari

a) HART. PISTORIS in Obscr. CIII. 10. SCHILTERVS in Exerc. ad n. XV. §. 72. seq. GE. BEYERVS in Delin. Iur. Germ. Lib. I. Cap. 27. §. 55. I. C. LAVBERVS in diff. de Curatoribus boni absentium dandis (Adu. 1664.) CHRISTOPH. LVD. CRELLIVS in diff. quando curator absentis heredes aequo propinquos a successione excludat (Witeb. 1737.) §. 1. CHR. FRID. IMM. SCHORCHIVS in Medit. de cura bonorum absentis (Lips. et Francof. 1761.) §. 3. et ad quem velut antesignanum omnes prouocant CARPZOVIVS in P. III.

Const. XV. def. 48. seq.

b) IO. GE. SIMON in diff. de Curatore diu absentis, de cuius vita dubitatur (Lenae 1672. et in Ei. praefid. acad. T. II. p. 871, seq.

c) CARPZOVIVS in l.c. et Lib. V. Rsp. §. n. 12. IO. RVD. ENGAV de Cura absentium (Lenae 1752.) p. 5. et in Ei. Eleni. Iur. Germ. Lib. I. T. 28. §. 484. SMALCALDERVS in diff. supra cit. §. 17. FRID. ESA. & FVENDORF in Obsr. Iur. viiiu. T. IV. obs. 84.

d) BEYERVS in l.c. §. 47.

mari debet, nisi legibus imperii tutelaribus et consuetudine Germanorum vniuersali aliud fuerit definitum. Legisla-tores Romanorum prudentissime constituerunt, ne illi sine curatore viuant, qui imbecillitate quadam impediuntur, quo minus rebus suis superesse possint. Et licet haec cura nec XII. tabul. iure nec alia certa lege introducta sit, tamen id, quod legi scriptae deest, interpretatione extensiuā sup-pletur. Quemadmodum enim furiosis per interpretationem extensiā surdi, muti et perpetuo morbo laborantes a Ictis adnumerati sunt<sup>e</sup>), sic quoque absentibus exemplo furiosorum, qui absentium loco esse dicuntur<sup>f</sup>), aliorum-que, qui rebus suis ipsi superesse nequeant, curator recte da-tur<sup>g</sup>). Indoles igitur curae bonorum absentis ex natura cu-ræ, cuius species est, aestimari debet. Prono inde alueo sequitur, vt quicquid curae in genere inest, etiam curae bonorum absentis tribui, et a cura minorum, furiosorum etc. ad nostram duci argumentum et possit et debeat, nisi diuersa ratio vel legis dispositio obsteret.

## §. 5.

*Virum cura bonorum absentis legitima sit occupatio hereditatis?*

Quorsum autem haec de Cura bonorum absentis? scili-cet vt viam nobis aperiamus ad resellendum opinionis erro-rem, quo multi capti seu potius decepti curam, de qua stri-ctim carptimque disputauimus, et quidem quae proximis he-redibus defertur, non esse meram curam sed latius patere et praematuram adeo successionis ab intestato occupationem et subsidiariam hereditatis aut bonorum possessionis petitionem,

adeoque

e) §. 4. l. de Curat.

nisi in integrum restituuntur. l. 22. n.

f) l. 124. n. de Reg. Iur.

de rebus auct. iud. possid. l. 3. C. de

g) l. 2. n. de Curator, furios. l. 15.

Postlim. reuersi.

n. et quibus caus. maiores XXV. an-

B

adeoque curatori legitimo maiorem ac extraneo potestatem in administratione rerum absentis tribuendam esse opinantur<sup>a)</sup>) Cuius suae opinionis hanc reddunt rationem, quia cura bonorum absentis legitimata iure sanguinis et cognitionis proximitate nitatur, iisque omnino deferatur, qui hereditatem fibi delatam fore sperare possunt. Verum enim vero huic curae legitimae plus iusto tribuitur, nec ratio allata ad id efficiendum idonea videtur. Primo illa cura, quemadmodum spes successionis non semper iure sanguinis et cognitionis nititur, et ipsi adeo, qui curam nocti sunt, absenti non semper futuri sunt heredes. Deinde qui curam bonorum absentis legitimam esse praematuram hereditatis occupationem ideo existimet, quod iure sanguinis et cognitionis proximitate nitatur, nac is egregie fallitur. Eodem enim iure cum tutela legitima, vbi etiam successionis ratio habetur, praematuram hereditatis occupationem coniunctam esse oporteret; quod vero ne dupondii quidem sibi persuaderi patientur. Et denique curae legitimae bonorum absentis ideo nulla successio inesse potest, quia viuentis nulla est hereditas. Licet enim quis diu absens fuerit, tamen, quemadmodum iam supra<sup>b)</sup> effecimus, viuis potius, quam mortuus praesumitur. Quae si quis, subductis vtrinque rationibus, paulo curatus perpenderit, is curae legitimae bonorum absentis non plus, quam ceteris speciebus curarum inesse facile intelligat.

## §. 6.

<sup>a)</sup> CARPOVIUS in I. c. ANT. FABER in Cod. L. V. T. 40, def. I. SCHILTERVS in Exercit. ad w. XV. BEYERVS in Delin. cit. L. 27. §. 44. WERNHERVS in Obf. for. §.

II. Obf. 356. CRELLIVS in diff. supra cit. §. 4. SCHORCHIVS in Medit. cit. §. 4. PWFENDORF in I. c. T. IV. Obf. 84. aliquie.  
<sup>b)</sup> §. 3.

## §. 6.

*Successioni in bona absentium quando locus sit?*

Morte absentis non solum cura bonorum finitur, sed quoque bona iis cedunt, quibus ius succedendi in vniuersum ius absentis defuncti competit. Cum autem viuentis nulla sit hereditas, <sup>a)</sup> et ius hereditarium non nisi a vero herede peti possit, sequitur, ut successioni seu hereditatem absentis acquirendi adeoque hereditatis petitioni prius locus non detur, quam si I. de morte absentis et II. de iure succedendi constet: cuius rei probatione in bona absentis successurus defungi tenetur.

## §. 7.

*De mortis absentis probatione.*

Mors absentis vel *directo* probatur vel ex *aliis factis* siue probatis siue aliunde certis *in suo ratiocinio* infertur. Et ex hoc diuerso mortem probandi modo duplex probatio oritur, cuius altera *inartificialis*, altera *artificialis* vulgo vocatur. Illa instituitur I. per *duos testes*, qui de morte absentis iudici fidem facere possunt, veluti si cum absenti iusta persoluerentur, aut is vltimo suppicio afficeretur, praesentes fuerint, et omnino viderint id, ex quo mors infecuta oppido et directe intelligitur; II. per *testimonium ducis militiae* licet iniuratum; III. per *documenta publica* (*Todten-Scheine*) vel iudicialia vel extrajudicialia. <sup>a)</sup> Quae probandi media, de quibus fusius differit **LEYSERV** <sup>b)</sup> si defunt, nec alia plane de absentis vita et morte notitia haberi potest, probatio artificialis in subsidium locum sibi

B 2

vindi-

a) I. 1. *z.* de hered. vel act. vend. I. 2. *z.* de V. et P. S.

batione mortis per instrumentum vulgo vom *Todtenchein* (Viteb. 1739.)

a) STEPH. WAGA in diss. de Pro-

b) in Medit. ad *z.* Spec. 95.

vindicat, siquidem veritati cedit presumptio et quamdiu veritas rei per testimonia euinci potest, non est, quod ad praesumtiones confugias. Probatio autem <sup>c)</sup> mortis artificialis per praesumtiones peragitur, vbi vero leuiores, quae ducuntur ab eo, quod absens litteris prouocatus haud responderit, aut valde aeger fuerit, aut per maria infesta et periculosa nauigari, aut quae sunt aliae eiusmodi momenti coniecturae haud sufficiunt, cum earum vis facillime elidi possit, neque tota causa iudicis arbitrio relinquenda sit, <sup>d)</sup> sed ita comparatae esse debent praesumtiones, vt exinde talis mortis probabilitas oriatur, qualis ad iudicem conuincendum ex legis dispositione requiritur, aut illae ad eum probabilitatis gradum ascendant, vt probationi plenae aequipolleant. Quare nullae aliae, quam praesumtiones iuris aut quae tantam de morte absentis fidem faciunt, vt dubitationi nullum relinquant locum. Si, vt exemplo vtamur, omnes in praelio, aut in mari, naufragio facto, periisse constat, et absentem, qui inter eosdem fuerit, eodem fato periisse nemo dubitet, nisi qui ideo sit scrupulosus, vt de omnibus dubitandum censeat, nec quicquam veri accidisse putet, nisi quae ipse hisce suis oculis viderit, aut manibus omnia undequaque palparit.

## §. 8.

*Vnum ex lapsu temporis longioris mors absentis iure communi  
praefunatur?*

Quanquam omnium omnino hominum non idem vitae terminus esse solet, sed secundum illud Horatianum: <sup>a)</sup>

*Mista*

C) REINH. FRID. SAHMIVS in diff.  
de praesumtione mortis (Regioni.  
1713.) adde LEYSERV M in l. c.  
Spec. 96.

d) Dissent. BERLICHIVS P. IV.  
Concl. 28. n. 45.  
a) Lib. I. Carm. Od. 28. v. 19.

*Mista senum ac iuuenum densantur funera: nullum  
Saeva caput Proserpina fugit,*

tamen, quia haud raro scire admodum interest, vtrum absens, de cuius vita et morte nihil constat, mortuus an inter viuos adhuc sit, certus vitae terminus, vel qui plerumque esse solet, vel ex salute publica breuior ad causas litium, quae ex illa vitae et mortis absentis incertitatem facile exoriri possunt, tollendas lege aut obseruantia in foris Germaniae aliquis prouincia definitus est, ex quo praesumtio mortis nascatur. Quem vero terminum et quoisque homo viuere praesumatur, LL. definuerint, iam paulo curatius inquirere luet. Nam inter Ictos hac de re parum conuenit, sed tanta opinionum varietas deprehenditur, ut quamcunque sententiam amplexus fueris, illius nec auctores nec defensores deesse videantur, aliis IIII. aliis V. aliis XX. aliis XXX. aliis XL. aliis LXV. aliis LXX. aliis C. aliis denique CXX. annos ad mortis praesumptionem requirentibus. <sup>b)</sup> Iam ne diuersa iura turpiter misceantur, ante omnia, num quid iure fusiunaneo h. e. communii hac de re cautum sit, videamus. Ac primo quidem sunt, qui praeterlapsis IV. annis absentem pro mortuo habendum esse existimant, nisi auctoritate *I. 7. C. de repud.* vbi ita: *Vxor, quae in militiam profecto marito post interuentum annorum quatuor nullum sospitatis eius potuit habere indicium atque ideo de nuptiis aliis cogitauit, non videtur nuptias iniisse furtivas.* Sed vt legem cit. per Nou. II. c. II. et quae ex hac hausta sit Auth. Hodie *C. de Repud.* abrogata

B 3

tam

<sup>b)</sup> Cui voluppe est, omnes de hac re DD. opiniones legere, is audeat BAR-THIVM. in Tr. de Dissenf. in Praxi Cent. V. diss. 39, et E. D. LIEBHABE-

RVM in diss. de iure cognatorum in bonis absentium (Lips. 1716.) Cap. IV. §. 9.

tam suisse nihil moneam, illa non tam de præsumptione mortis, quam potius de eo tempore intelligenda est, quo vxor derelicta sine poena capitali ad secunda vota transire possit. Quae cum facile intelligantur, nemo opinor erit, qui illi opinioni adstipuletur. Alii hominem usquè ad C. annos viuere in dubio censemadum esse statuant, <sup>c)</sup> et ne id sine legum auctoritate dixisse videantur, ad l. 56. π. de *Vsufi.* et l. 8. π. de *vſi* et *Vſufi.* et *reditu* et *habit.* et *operis per legat. vel fideicommiss. datis* prouocant. Quibus vero legibus quantopere abutantur, et quam parum auctoritatis ad id, quod cupiunt, efficiendum iis insit, quilibet vel nullo monitore intelligat, qui non tam verbis legum inhaeret, quam potius earum rationem paulo curatus perspexerit. Leges enim citatae tantummodo ad vſumfructum ciuitati relictum pertinent, ibique de illius interitu quaestio mouetur. Vſumfructum morte vſusfructuarii finiri vel inter dupondios constat. Cum autem ciuitas, nisi plane extorta sit, nunquam moriatur, sed per vnum adeo membrum continuari possit, perpetuus vſusfructus concessus esse censetur. Ne autem proprietatis ius plane inutile euadat, omni quippe spe aliquando ius vſusfructus recuperandi domino admcta, spatium C. annorum, qui finis vitae longissimus esset, ex aequitatis ratione constitutum fuit, vt eo praeterlapsa vſusfructus ciuitati seu alii corpori mystico concessus velut per mortem finiatur.

§. 9.

<sup>c)</sup> Ut nihil dicam de Glossatoribus, illius opinionis velut antesignanus est FINCKEL THVSIVS in Obs. C. n. 26. 27. et quem multi alii fecuti sunt, in

quibus etiam est GE. HENR. LINCKIVS in diff. Quando absens habeatur pro mortuo (Ald. 1727.) Cap. II. §. 5. seq.

## §. 9.

*Eiusdem argumenti continuatio.*

Iam ne quid omittatur, quod ad causam eorum, qui absentem post C. demum annos pro mortuo habent, defendendam pertinet, pergam ad l. 23. C. de SS. Ecclesiis, cui magnam vim ad sententiam illam confirmandam inesse existimat. Sed si illam penitus persperceris, ad causam specialem pertinere videbis. Ibi enim Iustinianus ecclesiis, quarum fautorum maximum semper fuisse scimus, id beneficium indulxit, ut ne actiones ipsis competentes non nisi centum annorum lapsu perimerentur,<sup>a)</sup> sed ne videamur, inquiens,<sup>b)</sup> in infinitum hanc (scil. rerum exactiōnē) extendere, longissimum vitae hominum tempus eligimus, et non aliter eam actionem finiri concedimus, nisi centum annorum curricula excederint. Lapsus centum annorum quanquam in legibus cit. longissimum vitae terminus esse dicitur, tamen qui regulam et praefunctionem iuris generalem inde effici posse et hominem ad C. usque annos viuere in dubio censendum esse praecipiunt, ii, nisi ipse egregie fallor, falluntur. Primo enim leges, quibus hic videntur, tum summa, quae non patitur, ut proprietario ius videnti fruendi plane et in omne tempus adimatur, aequitate, tum ingenti ecclesiarum fauore adeoque specialibus rationibus, quae extendi non debent, nituntur. Deinde natura et indoles praefunctionum ab illa opinione admodum abhorret, siquidem illae non ab his, quae *ἐκ παραλόγων*, sed quae *ἐπὶ τῷ πλεῖτον* sunt, duci solent.<sup>c)</sup>

## Quotus

a) IO. AVG. BACHIVS in diff. de Praescriptione centum annorum in actionibus ecclesiae Rom. de Iure ci- nili (Lips. 1750.)

b) l. 23. C. de SS. Eccles.

c) l. 3. n. de Legibus. Adde ME NOCHIVM de Praefunt. Lib. VI. praef. 49. n. 10. seq. et BACHOVIVM ad Treutlerum Vol. II. Disp. 4. th. 12.

Quotus quisque autem est nostrum, qui centum annos vivat? Quod unus et alter ad C. annos et amplius vixerit, exinde regula et prae sumptio iuris generalis duci non debet. Quicquid sit, fuit haec olim communis doctorum opinio, ut intelligimus ex FINCKELTHVSIO<sup>d)</sup>. Est enim quaecum admodum GOTFRID. MASCOVIVS<sup>e)</sup> ὡς πάντα de illo iudicat, ex iis, qui gregatim pascuntur. Sed re postea melius perspecta, illa opinio deficit esse communis, et, licet auctoritate glossae sit confirmata, tamen reiecta fuit nec valet, nisi ubi lege vel obseruantia particulari<sup>f)</sup> aut seruata aut recepta fuit.

### §. IO.

*Certus vitae terminus iure particulari constitutus fuit.*

Iure igitur communi certum tempus, quo praeterlapsi absens pro mortuo sit habendus, non esse constitutum satis, nisi suscepisti negotii egregie nos fallit amor, effecimus. Ne autem proximis absentium heredibus spes successionis legitima diminuatur aut plane adimatur, et ut iudicis arbitrium, cui totam causam multi tribuendam existimant, coercetur, et certae normae adstringatur, prudenti confilio et ex salute ipsius reipublicae, cuius interest, ut dominia rerum certa fiant, lege vel obseruantia particulari in multis prouinciis certus vitae terminus absentibus fuit praefinitus, sed non una eademque vbiique ratione. In nonnullis enim LL. particularibus solius temporis absentiae, in aliis vero et plerisque

que

d) in Obseru. obs. C.

e) in Proluf. de Matrimonio putatio (Goett. 1738.) et in Opusc. opera Excellentissimi et h. t. Rektoris Magnifici I. L. E. PÜTTMANNI iunctim edit. p. 412.

f) In foris Saxonice olim obtinuit,

vti intelligimus ex rebus ab Ill. Ict. Lipf. ord. nec non a Consistorio Lipf. iudicatis apud FINCKELTHVSIVM in l. c. et BERGERVM in Dec. CXIX. Dieweil aus Vermuthung derer Rechte der Mensch bis in die 100 Jahr zu leben geachtet wird.

que aetatis absensis ratio habetur. Sic ut exemplis vtar, in Saxonia,<sup>a)</sup> et in multis aliis Germaniae exterarumque provinciarum foris annus septuagenarius pro longissimo vitae termino et absens, qui LXX. annos vixit, pro mortuo habetur. Quae quidem sententia, tum quia dicto Mosis, <sup>b)</sup> quo vitae nostrae anni totidem tribuuntur, nititur tum quia prae-

sumptioni

a) FINCKELTHVSII opinio, qua absens post C. annos pro mortuo habetur, quanquam in foris Saxonice recepta erat, tamen postquam ei contradictor exiterat CARPZOVIVS, qui absentem post lapsum LXX. annorum pro mortuo centendum esse contra illum in P. III. Conf. 15. def. 57. defenderat, quae CARPZOVII semper apud Saxones fuit auditoris, huius sententia, frustra reclamante FINCKELTHVSI, praevaluit, et adhuc hodie in foris Saxonice dominatur. Vid. BARTHVS in Dissenf. in Praxi Cent. V. p. 106. HORNIUS in Resp. Clasf. VIII. resp. III. p. 465. BERGERVS in P. II. Resp. 166. p. m. 289. seq. et WERNHERVS in Obs. For. P. II. obs. 241. Eandem sententiam vnu et obseruantia in foris Saxonice introductam varia ciuitatum Saxoniarum statuta conficiarunt. In Statutis quidem Torgauiensibus Tit. Wie die andern Githern etc. ita: *Wenn eine Person sich von ihnen in die Fremde begieben, von deren Leben oder Tode in dreysig Jahren Jahre und Tage nichts gewiffes hat können erfahren werden, und kundlich ist, daß zu der Zeit, da seine nechste Erben ab intestato sein Vermögen ihnen abfolgen zu lassen ansehen, die abwesende Person das siebenzig-*

*se Jahr ihres Alters überschritten haben müßte, so soll nicht vermuthet werden, als ob dieselbe noch am Leben were, und dennoch seinen Erben an Empfahrung seiner Verlassenschaft kein Einhalt geschehen, dieselbige auch derowegen einigen Vorstand zu bestellen nicht pflichtig seyn. His adiungere lubet exemplum ex Statutis Dresdenibus petitum, vbi Cap. VII. §. 5. p. 31. ita: Die weil auch wegen der Erbenschaften, welche diejenigen, so sich in ihrer Jugend oder sonst außerhalb Landes begeben, alhier verlassen, bisher vielmals Streit vorgefallen, wie lange die nächsten Anverwandten, welche ihres Todes haben keine Bescheinigung vorzulegen, mit der Succession aufzuhalten, bevorab, da auch die Rechtslehrer bishero ungleicher Meinung gewesen; So ordnen wir, wann zu bescheinigen, daß zu der Zeit, da die nächsten Erben ab Intestato ihnen folgen zu lassen ansehen, die abwesende Person das siebenzigste Jahr ihres Alters überschritten habe, daß auf solchen Fall dieselben weiter nicht aufgehalten, sondern die Verlassenschaft ohne Vorstand ihnen gefolget werden solle.*

b) in Psalm. XC. v. 11.

C

sumptioni vitae humanae optime conuenit, vno fere ore et consentientibus veluti suffragis Iectorum<sup>c)</sup> atque plerorumque iudiciorum vsu obseruantiaque confirmata sicut et sunt adeo, qui cum illius causae decisionem ex iure ciuili peti non posse videant, sententiam Mosis vim iuris communis obtinuisse, et vbi lege vel consuetudine particulari nihil de hac re certi constitutum sit, illum vitae terminum septuagenarium sequendum esse existimant. Horum vero sententiae ut accedam, animum meum inducere nequeo, siquidem absens, qui LXX. annos vixit, in iis tantum prouinciis pro mortuo habetur, in quibus id lege prouinciali receptum sit, vel obseruantia particulari inualuerit, nec ex amica quorundam iurium particularium consensione ius commune effici potest. Accedit et hoc, quod in quamplurimis prouinciis longe alius vitae terminus absentibus sit praefinitus. Leodiensi quidem consuetudine<sup>d)</sup> absens post XL. annorum lapsum, ex quo a patria absuit, mortuus censemtur. Iure Danico,<sup>e)</sup> Bohemico,<sup>f)</sup> et olim Borussico<sup>g)</sup> XXX. anni, qui a tempore absentiae computari debent, definiti sunt, quique a legitimo praescriptionis Germanicae tempore tricennali mutuati esse videntur.

<sup>c)</sup> LAVTERBACHIVS in Colleg. theoretico-pract. ad Tit. de heredit. petit. §. 23. MENKENIVS in Theor. et Praxi ad Tit.  $\pi.$  de heredit. petit. §. 10. BERGERVS in Ocean. Iur. p. 131. not. 11. LEYSERVS in med. ad  $\pi.$  Spec. 96. n. 5. HARPRECHT in Tract. acad. mantiss. resp. 6. n. 18. ABR. KAESTNER in Prol. quoisque homo vivere presumatur (Lipf. 1746.) FERD. AVG. HOMMEL in diff. Septuagenarius absens factus quando mortuus presumatur (Lipf. 1751.) et 10.

FLOR. RIVINVVS in Progr. cit. diff. adiccto.

<sup>d)</sup> CARL. D. MEAN. ad Ius Leod. P. II. obs. 312. n. 7. P. III. obs. 386.

<sup>e)</sup> LYNCKERVS in Resp. V. n. II.

<sup>f)</sup> Conf. d. 31. Octobr. 1740. in Corp. Conf. Regio-Holst. T. I. p. 159-161.

<sup>g)</sup> Edict. d. 29. Mart. 1616. apud Richterum. P. I. Dec. 66. n. 6.

<sup>g)</sup> Edict. d. 23. April. 1752. et d. 22. April. 1753. apud MYLIVM in Corp. Conf. March. T. II.

tur. <sup>b)</sup> Moribus Augustanorum, <sup>i)</sup> qui per XV. et in Gallia  
<sup>b)</sup> qui per X annos absfuit, ita vbi fit et an viuat, ignoretur,  
pro mortuo habetur. Denique, quod olim apud Borussos  
hac in re obtinebat, tempus tricennale lege recens condita <sup>i)</sup>  
ad decennium, aut si quis post LXV. demum annos absens  
factus fuit, ad quinqueannum, prout rationes illius reipub-  
licae suadere videntur, fuit restrictum.

## §. II.

*Praesuntio mortis ex lapsu temporis nata confirmatur sententia  
declaratoria.*

Quia absens ipsius temporis lege definiti lapsu pro  
mortuo habetur, non est, ut publice per edictales citetur,  
aut heredes aliquie, quorum interest, antea perscrutentur,  
an et vbi viuat absens, idque iuramento ab ipsis confirmetur,  
nisi ex lege vel obseruantia particulari necessario requiratur:  
id quod in iis prouinciis, vbi breuissimus vitae terminus ab-  
sentibus praefinitus est, quemadmodum in Borussia, <sup>c)</sup> ex

C 2 aequi-

<sup>b)</sup> PETER de LVDEWIG in ge-  
lehrten Anzeigen I Theil p. 929.

<sup>i)</sup> ANT. FABER in Cod. L. V.  
T. 40. def. 3.

<sup>c)</sup> PHILIPPV BORNERIVS in  
Annot. ad Stephani Ranchini Mi-  
cellan. Decis. seu Resolut. (Genev.  
1709.) Tit. I.

<sup>i)</sup> Allgemeine Verordnung, wie  
es wegen der Abwesenden mit der  
Verwaltung ihrer Güter und Ver-  
mögens und Bestellung der Curato-  
ren zu halten; ingleichen nach Ver-  
lauf wie vieler Jahre ein Abwesen-  
der für tot angesehen werden solle.  
d. d. Berlin den 27. Oktobr. 1763.  
insert: Nouo Corpori Constitut.  
Prussico - Brandenburgicarum praeci-  
pue Marchicarum T. III. p. 315. seq.

<sup>a)</sup> Edict. cit. §. 22. Wann nun  
die oben §. 2 et 3. bestimmte 10.  
und respектив 5 Jahre der Abwe-  
senheit ablaufen, so muß der Cu-  
rator oder der succedirende Erbe  
davor sorgen, daß der Abwesende  
nochmählen durch Edictales zu drey  
wiederholten mahlen — citret  
werde, worauf und wann dieses ge-  
schehen, und der Abwesende nicht  
erschienen ist, der Curator oder der  
succedirende Erbe bey der Obri-  
gkeit einkommen, und daß der Ab-  
sens nunmehr pro mortuo declari-  
ret werden möge, geziemende An-  
suchung thun muß, worauf das Ju-  
dicium die Sache zur Cognition zie-  
hen, und wenn Curator und die suc-  
cedirende Erben eydlich erhaerten  
daß

aequitate introductum suisse videmus. Ne autem hac in re dubia absenti iniuria inferatur, proximis heredibus in bona absensis iusto citius immisiss, causae cognitio omnium primo institui debet, et qui in vniuersum ius absensis succedere cupiunt, terminum vitae lege definitum praeterlapsum esse, vel per testes vel per documenta veluti instrumentum baptismale (*Taufschein*) probare tenentur. Quo facto sequitur sententia iudicis, qua absens, termino vitae legitimo praeterlapsus, a iudice pro mortuo declaratur. <sup>b)</sup> Qua quidem sententia, quae *declaratoria* vulgo dicitur, cum tantummodo praesumptionem mortis confirmet, illi plus inesse non debet, quam ipsi praesumptioni mortis, quae ex lapsu temporis oritur, nec prius declarationi pro mortuo locus datur, quam filix vel obseruantia absentem pro mortuo habet. <sup>c)</sup> Quare audiendi non sunt, qui iudici id potestatis concedant, ut si ipsi aequum visum fuerit, spatium temporis lege definiti coangustare et absentem, legitimo tempore nondum praeterlapsus pro mortuo declarare et heredes ad successionem in bona absensis, praesita cautione indemnitatis admittere possit. <sup>d)</sup>

Illi

daß sie seit 10, oder in dem Falle da ein 65jähriger abwesend geworden, in 5 Jahren nicht die geringste Nachricht von seinem Leben und Aufenthalt erhalten, den Abwesenden per sententiam pro mortuo declariren müßt.

<sup>b)</sup> Dass der Abwesende N. N. pro mortuo zu achten.

<sup>c)</sup> Absentem haberi et declarari mortuum maximopere differe visum fuit ENGAVIO in Elem. Iur. Germ. L. I. Tit. 28. k. 482. in nota. Mortus habetur, cuius vita propter diuturnam absentiam dubia declaratur vero, a cuius nativitate LXX. anni

praeterlapsi sunt. Ita et sententia VOETIVS ad a. Tit. de Famil. excise. §. 19. et LYNCKERVS Dec. 1478. et Vol. I. Resp. 5. Sed haec differentia spuria mihi esse videtur. Absens enim non ob absentiam licet diuturnam, sed praeterlapsus dum tempore lege definito, ex quo praesumptio mortis oritur, pro mortuo habetur, et prævia causæ cognitione pro mortuo declarari solet. Quo cum praesumptio mortis tantum confirmetur, utraque loquendi formula a multis promiscue usurpatur.

<sup>d)</sup> CARPOVIVS in l. supra cit. et quem LEYSERVS in Med. securus fuit.

Illi enim fines arbitrii iudicis iusto latius extendere videntur quandoquidem illius tantum sit, ex legibus latis iudicare, non vero iis auctoritate sua derogare, aliisque ius quaeſitum interuertere. Ceterum declarationis ea vis et efficacia est, vt bona absentis proximioribus heredibus sine cautione committantur et relinquuntur.

## §. 12.

*Ius succedendi in bona absentis.*

Qui morte absentis vel vere vel per praesumtiones iuris probata, hereditatem nancisci cupiunt, probare tenentur *ius succedendi*, quod vel ex lege, vel testamento, vel quod per mores Germanorum licet ex pacto competit. Quemadmodum autem, si *heredes ex diversis causis* adsunt, is praefertur, qui iure succedendi fortiori prae aliis gaudet, ita in bonis absentis praecepua est successio pactitia et testamentaria, <sup>a)</sup> ita, vt illarum quaelibet legitimam excludat, et quamdiu successor ex pacto vel ex testamento, speratur, successioni legitimae locus non detur. Sin *heredes ex iisdem causis* adsunt, iis defertur hereditas, quos aut pacti testamentique formula aut legis dispositio in successione praevire iubet. Quare qui ex pacto successorio iure fortiori gaudet, ceteris pactitiis heredibus, institutus substituto <sup>b)</sup> et gradu cognationis proximior remotiori praefertur, nec a successione in bona absentis excluditur, licet illius bonorum curam legitimam, quam iure poterat, nunquam subierit, sed eam aliis gradu remotioribus reliquerit. Qui enim a cura abstinent, hereditati absentis non videntur renunciasse <sup>c)</sup> tum quia renunciatio iuris non praesumitur, tum quia illi

## C 3

prius

<sup>a)</sup> I. 39. <sup>x.</sup> de acquir. vel omitt. <sup>c)</sup> CHRISTOPH LVD. CRELVIS in diff. cit. §. 7.  
heredit.

<sup>b)</sup> I. 3. <sup>x.</sup> eodem.

prius locus non datur quam iure nato. Ius autem succendi in bona absentis prius non oritur, quam morte absentis subsecuta et probata.<sup>a)</sup>

## §. 13.

*A quo tempore proximitas gradus in successione in bona absentis affirmanda sit?*

Si absens intestatus deceffit, ad illius hereditatem ipsa lege vocantur, qui gradu cognationis proximi sunt. Ex quo vero tempore illa gradus praerogativa sit definienda, iam maxime quaeritur. Quodsi tempus, quo absens *vere* mortuus fit, luculenter probari queat, legitimam absentis hereditatem nanciscitur, qui illo mortis tempore ei proximus fuit. Sin autem de vero mortis tempore non constat, sed absens ex *praesumtione iuris*, praeterlapsa vitae termino lege paelcripto, mortuus fuit habitus, quis tunc inter heredes legitimos ad successionem in bona absentis admittendus sit, vtrum is, qui tempore curae bonorum absentis primum demandatae, an qui tempore mortis *praesumptae* absentis cognationis gradu proximus est, seu ut cum forensibus hominibus loquar, vtrum successio fiat ex nunc an ex tunc, quaestio primaria oritur, in qua pertractanda eo accuratius et diligenter versari debemus, quo crebrius controvrsiae super illa a lctis moueri solent, et vbi tanta inter eos opinorum diuersitas et inconstantia deprehenditur, vt si pugnandum sit auctoritatibus, non possis non esse dubius et anceps, cui sententiae calculum tuum adiicias. Nec est, quod admodum miremur. Quod si enim ne in clara quidem et perspicua legi dispositione lctos raro inter se consentire videoas, quanto minus amicam inter eos concordiam et conspiracionem

nem

*d) l. 4. n. de acquir. vel omitt. adire hereditatem non videtur, qui heredit. vbi VPIANVS ita: Nolle non patet adire.*

nem speres in eo iuris capite, vbi lex expressa deficere nec  
vlla alia veri cognoscendi nisi per rationes iuris relictâ nobis  
esse videtur via. Iam vt nihil dicam de iis, qui eum absen-  
tis heredem esse dicant, qui ei tempore abitus proximus fue-  
rit successor, sunt haud pauci,<sup>a)</sup> qui tempus curae bonorum  
absentis, ob huius vitam dubiam delatae, spectandum esse  
praecipiunt, adeo, vt qui illo tempore absenti cognitionis  
gradu proximus sit, hereditatem nanciscatur. Quod ne te-  
mtere dixisse videantur, his vtuntur rationibus. Etenim cu-  
rator legitimus, inquiunt, pro absentis herede est haben-  
dus, cui salua esse debet hereditas, nisi hanc ad ipsum non  
pertinere postea appareat. Quanquam autem, praeterlapsu  
vitae termino lege definito, de absentis vita et redditu despe-  
ratur, adeoque cautio a curatore praestita reuocatur, tamen  
si haud constet, quo tempore absens vita sit defunctus, non  
post lapsum demum illius termini, sed statim, ex quo de  
vita eius dubitari coepit et curator bonis datus fuit, rebus  
humanis excessisse fingitur, quandoquidem absens non tam  
propter aetatem suam exactumque vitae terminum legitimi-  
num, sed propter diuturnam absentiam pro mortuo habe-  
tur. Quare quemadmodum ex fictione legis Corneliae  
captiuus, qui reuersus non est ab hostibus, quasi tunc de-  
cessisse videtur, cum captus est,<sup>b)</sup> ita post lapsum termini

vitae

<sup>a)</sup> IO. SCHILTERVS in Exercit. ad *π.* XV. 73. et 76. BEYERVS in Delin. Iur. Germ. L. 27. 51. LYNCERVS Vol. I. Resp. V. et in Anal. ad Struvii synt. I. C. Tit. de hered. perit. §. 66. et in Decis. 1478. WERNHERVS in Obs. for. T. III. P. III. obf. 48. ENGAVIVS in Elem. Iur. Germ. L. I. T. 28. §. 487. et in Progr. supra cit. p. II. nec non in Decis. et Resp. P. V. resp. 3. n. 4. CRELLIVS

in diff. cit. §. 4. SCHORCHIVS in Medit. cit. §. 23. seq. WAHLIVS in prop. cit. p. 12. seq. IO. FRID. PIELIVS in diff. de translatione bonorum absentis vel probata morte vel praesumta demum efficaci (Goett. 1768) aliquie.

<sup>b)</sup> I. 18. *π.* de Captiuis et de Po-  
stliminio et redentis ab hoste I. sc.  
pr. I. 44. §. fin. sc. cod. tit.

vitae absentium praefiniti singitur, quasi retro facta fuerit  
 successio et illo tempore, quo primum de vita et redditu ab-  
 sentis dubitatum et cura legitima delata fuit, hereditas pro-  
 xiniis absentis successoribus pure fuerit relicta. Verum enim  
 vero his rationibus tanta vis non ineſt, vt nos in illorum ſen-  
 tentiam pertrahere poſſint. Ac primo quidem opinio  
 eorum, qui curam bonorum absentis exiſtimant eſſe prea-  
 maturam hereditatis legitimae absentis occupationem, ſu-  
 pra, <sup>c)</sup> et niſi egregie fallimur, ſatis a nobis refutata eſſe vi-  
 detur. Etenim inter administrationem bonorum absentis et  
 inter ſucceſſionem in illa bona maximopere diſtingui debet.  
 Illa eſt mera cura et iis deferur, quorum tunc temporis  
 maxime iſteſt, quales ſunt proximi absentis cognati, quia  
 heredes aliquando futuri praefumuntur. Vti vero praefum-  
 tio cedit veritati, ita illi praefumtuī heredes cedere de-  
 bent et ad ſucceſſionem non admittuntur, ſi tempore mortis  
 vel vere vel per praefumtiones probatae alii gradu proximio-  
 res cognati adſunt. Deinde licet quis diu a patriis laribus  
 abſuerit, nec viuatne an mortuus fit, conſtet, nihilominus  
 tamen, quemadmodum iam ſupra <sup>d)</sup> effecimus, viuere praefum-  
 tio, nec mortuus confendus eſt, niſi praeterlapſo vitae  
 termino lege vel obſeruantia definito. Etenim exinde praefum-  
 tio mortis oritur, cui, niſi de contrario conſtet, eadem  
 vis et facultas ieneſt ac veritati. Iam vero, cum viuentis  
 nulla fit hereditas, ſequitur, vt ius et ordo ſuccedendi in bona  
 absentis non a tempore curiae delatae definiri nec illi deferri  
 debeat hereditas, qui illo tempore proximus absentis, qui  
 viuere adhuc praefumitur, fuit ſuccessor. Nam, vt tertium  
 denique argumentum refellam, fictio legis Corneliae, quae  
 in fauorem captiuorum introducta fuit, fruſtra in ſubſidiū  
 voca-

<sup>c)</sup> §. 5.

<sup>d)</sup> §. 3.

vocatur. Ut iam nihil moneam, fictionem cum praesumtione iuris turpiter hoc in loco confundi, illa extra casum lege definitum extendi nequit. Cum igitur fictio legis Corneliae speciali ratione nitatur, nec villa lex exstet, quae illam, qua DD in successione in bona absentium vtuntur, fictionem introduxit, hanc ad cerebrinas fictiones haud iniuria retuleris.

## §. 14.

*Praerogatiua gradus a tempore mortis praesumptae aestimanda est.*

Sententiis Ictorum de proximitate gradus, et a quo tempore illam in successione bonorum absentis vulgo definire solent, perpensis atque examinatis, instituti ratio exigit, ut nostram iam sententiam in medium proferamus. Nos vero ei, qui tempore mortis praesumptae absentis proximus est cognatus, hereditatem deferendam esse existimauerimus, non tam auctoritate Ictorum celeberrimorum, qui eiusdem sententiae defensores extitere<sup>a)</sup> (quamquam animum meum in hoc iuris controversi capite maximopere confirmarunt,) quam potius momentorum ex rationibus iuris civilis deductorum grauitate permoti. Satis hoc est inter omnes cognitum perspectumque, hereditatem non transferri in heredes, nisi post mortem eius, de cuius successione quaeritur, etiamsi admodum dubitetur, ne vita sit defunctus. Audi Diocleian, et Maxim. qui *Nec nos praeteriit, inquiunt b), hereditatem eius, quam incognitum erat,*

a) LEYSERVUS in medit. ad 2. CHIVS in Tract. de successione ab spec. 96. m. 9. Ill. CARL. FERD. intefato ciuili §. 127.  
HOMMELIVS in Rhaps. quaest. obs. 107. et Ill. 10. CRISTOPH. KO-

D

erat, ab hostibus interfecdam an captam esse a filio adiri non potuisse, QVONIAM EORVM BONA, QVI IN HOSTIVM POTESTATEM REDIGVNTVR, EO DEMVM TEMPORE IVRE ACQVIRI POSSVNT, CVM CAPTOS APVD HOSTES MORTVOS ESSE COGNOSCITVR. Nec super facultatibus eius, cuius incerta vita ac fortuna fuit, transigit et iudicari potuit. Vnde posteaquam apud hostes materteram vestram fati munus implese innotuit, tunc vobis licentia permittitur agnoscendae per bonorum possessionem successionis. Ex quo loco luculentissime patet, additioni hereditatis locum non esse, quando incertum sit, vtrum is, de cuius hereditate queritur, mortuus sit, an viuat. Quid? quod ne inspectio quidem tabularum testamenti permittitur, si suspicio sit, testatorem viuere<sup>c)</sup>, adeoque prius tabulae non aperiuntur, quam de morte testatoris certo constet<sup>d)</sup>. Hereditas autem ideo prius adiri, quemadmodum inspectio tabularum testamenti fieri non potest, quam morte eius, cui succeditur, cognita, quia ius succedendi antea delatum esse dici nequit. Quare qui absenti succedere cupit, mortem illius probare tenetur, nec ad successionem antea admittitur, licet dubium sit, viuatne adhuc an mortuus sit. Quoniam vero probatio mortis directa saepenumero facultatem non habet, et reipublicae tamen interest, ne successio in bona absentis semper in incerto versetur, in plerisque Germaniae exterisque prouinciis, quemadmodum supra<sup>e)</sup> vidimus, lege vel obseruantia

tia

c) I. 2. §. 4. n. testamento quem-  
admodum aperiantur inspiciantur et  
describantur I. 2. §. 5. n. ad Leg.  
Corn. de Falsis.

vel omitt. heredit. Adde IO. GOTTL.  
HEINECCIVM in Commentar. ad  
Legem Iuliam et Papiam Poppacam  
p. 376.

d) I. 13. §. 1. I. 32. n. de acquir.

e) §. 10.

tia certus terminus fuit constitutus, intra quem absens viuere, sed, eo praeterlapso, mortuus praesumitur. Quae cum ita sint, hereditas absentis non nisi praeterlapso illo termino in heredes transire potest, adeoque post illius demum termini lapsum prerogativa gradus definiri debet; siquidem praesumtio mortis ex illo temporis lapsu oritur, et illa, si de contrario non constet, veritatem imitatur. Iam vero cum viuentis nulla sit hereditas, exinde aptum nesciunque est, in proximitate gradus definienda tempus, quo absens ex prae*sum*tione iuris pro mortuo habetur, spectandum esse. Ergo is absentis heres existit, qui illo tempore praeterlapso veluti in Saxonia prima statim die et sub ipsis anni LXXI. auspiciis, ei cognationis gradu proximus est. Evidem aut egregie fallor aut eadem sententia in §. 6. I. de legit. adgnatorum successione confirmatur adeo, ut quicquid dubitationis forte supersit, plane euaneat. Ibi enim ita: *Proximus autem, siquidem nullo testamento facta quisquam deceperit, per hoc tempus requiritur, quo mortuus est is, cuius de hereditate quaeritur.* *Quodsi facto testamento quisquam deceperit, per hoc tempus requiritur, quo certum esse coepit, nullum ex testamento heredem extitum;* tunc enim proprie quisque intestatus *decessisse intelligitur.* *Quod quidem aliquando longo tempore declaratur.* In quo spatio temporis sacer accidit, ut proximiore mortuo, proximus esse incipiat, qui moriente testatore non erat proximus. Hae, quas ad sententiam nostram firmandam attulimus rationes, sufficient, ne pluribus colligendis ipsi videamus causae nostrae diffidere. Cum igitur sententia nostra rationi iuris civilis, quam analogiam vulgo vocant, ut quae maxime conueniat, vbiique, nisi iure particu-

Iari <sup>f)</sup>) aliud introductum esse constet, sequenda est, et expresse adeo in nonnullarum prouinciarum Germ. dispositionibus <sup>g)</sup> confirmata fuit.

## §. 15.

*Factum proponitur.*


Quae hucusque de quaestione a nobis proposita disputationimus, agi iam ad illustrem causam ad consultationem Excellent. Praefidis haud ita pridem delatam transferamus. D Hieronymus Comes de Bonda anno huius seculi nono discedens Ragusia, vbi adhuc sedes et domicilium ipsius fuerat, peregre profectus est: ab eo inde tempore neque de vita et obitu ipsius, neque de loco, vbi commoratus sit, vñquam allati sunt nuncii: omnia hucusque incerta sunt. Cum vero, mense Decembri anni 1515CCCLXXXIII. completi fuissent centum anni, ex quo natus fuit, eodem tempore ex vsu et obseruantia a Senatu Ragusino absens pro mortuo declaratus est, scilicet nomine ipius, is enim ibi mos obtinet, in Catalogo nobilium (speculum appellant) inducto seu dispuncto signoque crucis apposito. Quam quidem solennem declarationem absentis propinquui, sumtis togis pullis, lugentes et iusta veluti ei facientes confirmarunt. Iam vero inter Posteros comitis pro mortuo decla-

f) *Ius prouinc. Hohenloie. L. V. tit. I. §. 28.* *Wann ein solches abwesender und verscholnener Mensch nicht wieder kommt, so bleibt sein Vermögen seinen nächsten Freunden oder Testaments-Erben eigenthümlich, „als ob sie es zu der Zeit, da „der verscholnene aus dem Lande „gekommen ist, geerbet hätten.“*

g) *Iure Boruss. per Edictum super cit. §. 22: vbi ita: worauf das*

*Judicium den Abwesenden per sententiam pro mortuo declariren muss, und wird alsdann dafür gehalten, als wenn der Abwesende an dem Tage, da er pro mortuo declariret worden, allverst. verstorben, und soll also das tempus mortis nicht auf den Anfang der Abwesenheit zurück gesetzet werden. Addc FRI-DER. BEHMERI Ius novum controversum obs. 99.*

declarati contentio de hereditate exoritur. Quod ut eo  
facilius intelligatur, schema genealogicum exprimamus:



Scilicet Hieronymus, quum Ragusia abiret, reliquit filios duos C. D. vnaque fratrem B, illos omnes quidem postea vita defunctos, antequam ipse a Senatu Ragusino mortuus erat declaratus. Absentis frater B commemoratos Hieronymi filios, qui adhuc potestati patriae suberant, in testamento heredes scripsit. Horum alter moriens relinquit quinque filias E. F. G. H. I. quarum primogenita appellatur Magdalena, his vero in testamento neglectis, fratrem D (sic enim fieri potest per leges Ragusinas) vniuersa bonorum suorum hereditate beatum fecerat. Cum moriendi necessitas venit et ad hunc ipsum, illae fratris quinque filiae ex testamento factae sunt heredes, ita quidem, ut Magdalena primogenita maximam bonorum partem praelegatam adipisceretur, reliquis aequalis dotis portio contingere. Nunc incidit tempus, quo Hieronymus mortuus renunciatus a Senatu. Magdalena contendit, bona testatoris D per accessionem hereditatis B et C. aucta et res relictas Hieronymi illius vi testamenti nihil aliud esse, quam partes vnius

eiusdemque hereditatis: quare praeter portionem dotis sororibus debitam omnia iure meritoque ad se ipsam affluere. Reliquae Sorores F. G. H. I. repugnant cupiuntque, quamvis obstante patris et auunculi testamento, in societatem hereditatis eorum admitti, his quidem rationibus subnixae: se yna cum Magdalena veluti neptes ex filio esse aui heredes ab intestato; patrem et auunculum, quippe nunquam e patria potestate emancipatos contra leges fecisse, quod ante, quam absens mortuus declaratus sit, rerum suarum liberam dominationem, condendo testamento sibi assumferint, praeterito patre: omnia enim, quae acquisita sint ab iis, cedere in emolumenntum absentis. At Magdalena quibus causam suam coloribus commendat? Ait valde a vero abhorrere, D. Hieronymi aetatem vsque ad C. annos proiectam esse: quoniam intra tantum temporis spatium debuisse certe quicquam de vita ipsis audiri. Quapropter declarationem a Senatu factam nequaquam argumento esse, absentem tum temporis demum e viuis excessisse: fortasse iam longe antea mortuum esse. Istius enim declarationis sensum esse hunc, fieri potuisse, vt absens centum annos viueret, non item, factum etiam esse id, quod possibile fuerit. Nec iura successionis definienda esse ex hac declaratione, cum iam pri dem et ante annum centesimum mortuus esse censendus sit, adeoque eius hereditatem ad ipsis filios iam ante mortis declarationem deuolutam, et inde ad Magdalenan, testamentis rite conditis a patre et deinde ab auunculo transmissam fuisse. Sed hae rationes non possunt efficere, vt Magdalena cum tota praeda sola decedat viatrix, deuictis sororibus. Nam absens non statim a tempore absentiae mortuus, sed viuere potius censetur, donec de contrario constet. Quod cum neque per testes neque per documenta a Primogenita probari possit, nulla nisi quae per presumtionem

tionem ex temporis lapsu desumptam fit, relinquitur probatio. Iam vero in foris Ragusinis vsu et obseruantia inua-  
luit, vt absens C. annos viuere praesumatur, quemadmo-  
dum ex solenni declaratione pro mortuo a Senatu Ragusino  
facta atque a cognatis absentis confirmata luculentissime  
apparet. Cum autem viuentis nulla sit hereditas, tempus  
mortis neutiquam debet retrotrahi ad initium absentiae,  
sed ille verus heres est, qui illo ipso tempore, quo absens,  
praeterlapsis C. annis mortuus declaratus fuit, ei proximus  
adest cognatus. Quare absentis filiis, cum ante, quam ille  
mortuus declaratus fuit, obierint, hereditas patris absentis,  
qui vivus adhuc habebatur neque deferri neque acquiri  
potuit. Ergo testatori D. ius non competit, de illa in  
testamento disponendi illamque in primogenitam trans-  
ferendi. Nemo enim heredi suo plus commodi relinquit,  
quam ipse habet. Ex quibus omnibus consequitur, vt, ab-  
sente Hieronymo, cum B. C. D. iam antea diem obiissent  
supremum, pro mortuo declarato res redeat ad successio-  
nem ab intestato, et quia praerogativa gradus in successione  
ex tempore mortis praesumptae definiri debet, omnes ex  
filio nepotes suo iure proprio aequaliter in bona absentis  
aui, hereditate B. C. D. aucta succedant, nulla ratione  
testamentorum a C. et D. conditorum habita, quia illa vi-  
tio nullitatis laborant.

## §. 16.

*Effodus successionis in bona absentis ex praesumpta morte delatae.*

Succesio in bona absentis, praeterlapsi vitae termino  
legitimo consanguineis ideo competit, quia ille eo tem-  
pore mortuus esse praesumitur, hique proximi heredes esse  
consentur. Quare ipsis fortius ius attribui nequit, quam  
quod ex natura et indole praesumptionis nascitur. Quem-  
admodum

admodum autem praesumtio cedit veritati, sic probatio contrarii non excluditur, atque iis, qui contrario luculenter probato, et vi praesumptionis mortis et praerogativa gradus exinde ortae clisa, iure fortiori gaudent, ius suum faluum atque integrum conseruatur, nisi hoc ex speciali ratione extinctum fuerit. Quare si iudex cognato vel agnato primum venienti et petenti, vbi proximior sponte non adest, hereditatem absentis adiudicarit, et forte remotiores cognatos ad successionem admiserit, postea autem alii, qui tempore praesumptae mortis aut declarationis pro mortuo proximi fuerint, veluti liberi a patre, dum absens fuit, procreati, vxor aut heredes testamentarii etc. apparent, hi, probata filiatione, matrimonio et iure testamentario ab hereditate absentis non excluduntur,<sup>a)</sup> ipsique contra illos eadem, quae veris heredibus contra eos, qui pro herede vel pro possessore possident, competit actiones, etiam omnes absentis cognati sibi *poena praeculsi* conuocati fuerint.<sup>b)</sup> Etenim non audiendi mihi esse videntur, qui conuocationem proximorum cognatorum publicam, qua fit per edictales necessariam esse existimant, siquidem illa frustra suscipitur, et proximiori heredi, licet statuto tempore non venerit, neque per edictales neque per sententiam, qua contumaci poena praeculsi absque legis auctoritate nequicquam proponitur, ius suum adimi potest, quia hereditatis petitio ac rei vindicatio perpetua est.<sup>c)</sup> Deinde, qui tempore praesumptae mortis proximi absentis cognati fuerunt, si illius hereditatem adiere, id eis, qui absen-

a) *Edit. Borni*, cit. §. 29.

b) In hanc sententiam saepenumero respondit illustris Iectorum Lipsiensium ordo, quemadmodum intelligimus ex rebus iudicatis apud *Ilr. CARL.*

FERD. HOMMELIVM in Rhaps.  
Obsl. 106.

c) *Ilr. CARL. GODOFR. WINKLERVS* ad Bergeri *Oeconomianum Iuris* p. 131. Not. II.

absentem alio tempore, siue antequam ex legis dispositione pro mortuo fuit habitus siue post tempus praefumtae mortis, aut declarationem pro mortuo, vita defunctum fuisse, seque adeo proximos cognatos esse rite probauerint, fraudi esse nequit, sed praesumti heredes veris, nisi obstat praescriptio, cedere et hereditatem absentis restituere tenentur.<sup>d)</sup>

## §. 17.

*Absenti post tempus mortis praefumtae reuerso an bona sint restituenda?*

Libello ad finem properante, ab instituti ratione haud alienum est, illam quæstionem tractare, quæ efi in foris Saxonice aliisque, vbi vitae absentium longissimus terminus praefinitus est, raro moueri solet, tamen cum non plane inanis et frustanea esse videatur praesertim in iis prouinciis, vbi absentes post breuissimum temporis spatium pro mortuis habentur, eam silentio praetermittere noluimus. Absentes in patriam reuersi haud absimiles sunt iis, qui morte abrupti censentur, postea tamen reconualecentibus viribus quasi de nouo resurgunt et in vitam redeunt. Quibus vti bona sua restituenda esse nemio negat<sup>a)</sup>), ita idem

ius

d) Ediss. Boruss. §. 24. Wenn jedoch die Erben desjenigen, welcher dem Absenti succedirent haben würde, im Falle er ante declaracionem pro mortuis verstorben wäre, zu erweisen vermögen, daß der Abwesende wirklich vor der Declaration verstorben, so soll ihnen die Erbschaft von demjenigen, welcher tempore declaratoriae der nächste Erbe des Absentis gewesen, herangegeben werden -- Et §. 25. Gle-

cherge stellt sind diejenigen, welche dem Absenti succediren würden, wenn er post declaratoriam verstorben wäre zu dem Beweise, daß er wirklich nachhero erst verstorben, zuzulassen - -

a) HENR. VERDVYN in Comment. de testamento atque hereditate Lazarii bis mortui aliorum umque bis mortuorum (rec. Amstelod. 1756). GE. AND. IOACHIMVS in diff. de mortuis rediuiuis (Lipf. 1732.)

ius absentibus, qui mortui censemabantur, reuersis curni competere debeat, equidem haud video. Quamquam enim, qui seipso heres factus fuit, talis esse haud definit<sup>b)</sup>, nec ius per successionem in bona defuncti legitime acquisitum eripi possit, hoc tamen absentibus reuersis, qui bona sua ad heredes iam translata repertere cupiunt fraudi esse nequit, siquidem id tantummodo locum habet, si eum, cui successimus, vere mortuum esse constat. Si autem absentis heredibus, praeterlapsi vitae termino legitimo aut declaratione pro mortuo subsecuta, successio in bona absentis delata fuit, haec tantum prae sumptione iuris nascitur et eousque illis saluum manet, quo usque de contrario non constat. Iam vero si absens redux factus illam prae sumptionem iuris elicit, et re ipsa refutavit, heredes iure suo excidunt, et quemadmodum prae sumptio veritati, ita heres prae sumptus absentis reuerso cedere debet. Ex quibus omnibus facile est ad intelligendum, absenti bona, licet heredes ipsius putati speciali pacto ideo se non obstrinxerint<sup>c)</sup>, vel ipse absens, cum bona heredibus addicerentur, sub poena praeclusi citatus, statuto tempore non venerit, esse restituenda nisi prae scriptio obstet, quae vero non a tempore curae, quo curator rem nullo titulo possidet, ideoque in conditionem

b) l. ss. n. de Hered. instit.

c) Heredibus absentis bona nonnumquam ita addicuntur, ut si quando absens redux factus fuerit, se bona restituturos esse in se recipiant, cuius rei illustre exemplum comprehendimus in Deciso a Mathia Gorlicensis dato, quod supra citavimus, ubi ita: Wenn einer 30 Jahr und Tag außer Land gewesen, und keine Nachricht vorhanden, ob er am Leben oder mit Tode abgegangen

gen, sollet ihr des selben Zustand seinen nächsten Erben auf ihr Ansuchen eigenthümlich ohne allen Vorstand und Verzinsung abfolgen lassen, jedoch mit der Condition und Versprechen, wenn sich über Zuerst mit den Abwesenden nach diesen was anders befinden und zutragen möchte, daß denselben dadurch nichts vergeben und seine Forderung unbenommen seyn soll.

tionem vsuaciendi deuenire nequit, sed a tempore successio-  
nis delatae currit, nisi iure particulari<sup>d)</sup>) aliud sit introdu-  
ctum. Contra ipsam autem praeſcriptionem completam ab-  
ſentibus, quibus ſupina negligentia tribui nequit, si propter  
iustum et laudabilem abſentiam laetiſt, beneficium reſtitu-  
tionis in integrum indulgetur, nec denegari debet, niſi vbi id  
lege particulari<sup>e)</sup>, abrogatum sit. Ceterum etsi abſenti reuerso  
bona ab heredibus occupata reſtitui debent, tamen ab his,  
cum bona fide poffederint, plura repeti nequeunt, quam a bo-  
nae fidei poffessoribus. Et cum haec ſatis nota ſint, tempus  
et operam in harum diſputatione conſumere non lubet.

## E P I L O G V S.

Haec ſunt, quae de ſucceſſione in bona abſentium di-  
cenda putauit. Finem igitur diſputationi meae impono,  
quam ſi aequi intelligentesque exiſtimatores comprobaffe  
cognouero, impene gaudebo.

- d) Ediſt. Boruff. §. 30. Kömmt der Abwefende aber allererſt nach 30 Jahren, von der Zeit angerechnet, als man die letzte Nachricht von ihm gehabt zurück, fo foll der durch die Declaration gewordene Erbe oder Successor dem Abwefenden von seinem Vermögen und Güthern nichts wieder heraus zu geben ſchuldig ſeyn, ſondern es ſollen dieſelbe als verjaehrt und verlaſſen angeſehen werden. Cui diſpositioni quicquid iniquitatibus multis inſtevidetur, ad aquitatis rationes reuocatum ſuit, dum illi haec adiecta*
- funt: Jedoch foll in foſchem Falle, wenn der Wiedergekommene deſſen bedürftig iſt, demfelben von denjenigen, welcher per ſententiam declaratoriam des Abentis Vermögen erhalten, oder deſſen Erben eine nach dem Arbitrio iudicis zubeflimmende Alimentation gegeben werden.*
- e) Ediſt. Boruff. §. 31. Uebrigens foll wider die — festgeſetzte Praeſcription keine reſtitutio in integrum sex capite laudabilis absentiae oder ſonſt ſtatt haben.*



## M A N T I S S A.

- 
- 1) Cura bonorum absentis est munus publicum. Ergo ad illam subeundam quilibet cogi potest. Non obstat l. 2. §. 3. π. de Curat. bon. dand.
  - 2) Absenti in bonis curatoris tacita hypotheca iure communi non competit.
  - 3) Cura feudi, absente vasallo, non successoribus feudalibus, sed heredibus allodialibns committenda est.
  - 4) Coniux pro mortuo habitus, si in vitam quasi rediit, iura sua maritalia salua retinet.
  - 5) Si capit is damnatus postea reuiuseat, denuo poenae subiiciendus est.
  - 6) Subha statio voluntaria hypothecas non extinguit.
  - 7) Res in alienum territorium a fugitiuo debitore translatae, si iudici requirenti extradantur, gabellae s. iuri retractus non subsunt.
  - 8) Massa concursus creditorum in foro domicilii exorti non afficit bona debitoris in alienum territorium, creditores adeo decipiendi gratia, transportata, nec princeps in forum domicilii debitoris transmittere ex iuris necessitate tenetur, sed si ii, quorum interest, ut sibi ex illis bonis satisfiat, petunt, concursui particulari locum facere recte potest.



GENEROSSISSIMO  
DISSERTATIONIS AVCTORI  
S. P. D.  
P R A E S E S.

**Q**uem ad me detulisti libellum de successione in bona absentium, ut eum recenserem, TECumque in publico Auditorio defenderem, eum iam integrum et nihil mutatum *TIBI* reddo: Id vnum in me recipio, vt *TIBI* in certamine adsim moderator vel potius testis et spectator laudum eruditio*nis TVAE*, quam in Praelectionibus meis dudum mihi cognitam, omnibus palam spectandam praedicandamque propones. Qua quidem ex re profecto etiam ipse non paruum disciplinae meae fructum percipiam. Itaque utriique nostrum gratulor; *TIBI*, quod habes iam aditum ad laudem patefactum, occasionemque datam expromendae facultatis ingenii et doctrinae *TVAE*; mihi, quod

hae laudes et ornamenta contingunt iuueni disciplina  
mea uso, et quocum suauissimae amicitiae vinculum mihi  
intercedit. Quidni optem, ut hic dies prærogativa  
sit præmiorum et honorum, qui et conditioni et virtuti  
TVAE propositi sunt: vtque omnia ea TIBI con-  
tingant; quae animo TVO deslinasti. Scio enim, fore  
in TE huius laudis perpetuitatem, neque TE, abso-  
lutis iam studiorum academicorum spatiis, postea un-  
quam esse commissurum, ut amor litterarum præclare  
de TE meritarum ex animo TVO effluat. Quodsi ex-  
emplo TVO plures incitabis et allicies, profecto fiet,  
ut patriæ nostræ nunquam defuturi sint ex ordine  
TVO viri, iis similes, qui nunc cummaxime ad gubernacula  
reipublicæ sedent. Vale, Vir Generosissime mihi  
que Amicissime, TIBIque persuasum habeas velim,  
amori erga TE meo maximum, hoc die incrementum  
accessisse, neminemque esse, qui me maiorem ex laudibus  
TVIS voluptatem percipiatur. Vale.



Leipzig, Diss., 1764-2

ULB Halle  
007 411 979

3



vdp

TA-OC





Pr. 48. num. 58  
1776, 42

DE

# SVCCESIONE IN BONA ABSENTIVM.



DISSERTATIO

QVAM

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM COLLEGII

PRAESIDE

IO. ADAMO THEOPHILO KINDIO

PHILOSOPHIAE ET IVRIVM DOCTORE SVPREMAE CVRIAEB  
PROVINCIALIS ET CONSISTORII ADVOCATO.

A. D. III. APRIL. A. C. N. CCCCLXXVI.

IN AVDITORIO ICTORVM

D E F E N D E T

A V C T O R

GEORGIVS LVDOV. WICHHMANVS

W ARNSDORF

EVGES LVSATVS.



LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

